



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia  
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus  
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas  
Gregorii IX. P. M.**

**Zoesius, Hendrik**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Titulus XIII. De Torneamentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

- 1. Torneamenta cur prohibita.
- 2. Prohibitio ista quando cesset.

**U**T occasiones, unde cædes enascuntur, evitentur, prohibitus est ab Ecclesia torneamentorum usus, in nundinis & feriis in virium ostentationem exhiberi solitus, c. 1. h. t. Quod de his Torneamentis accipiendum, in quibus ut plurimum est mortis periculum, per d. c. 1. Quæ prohibitio ut effectum consequatur, vetant Canones in dictis torneamentis interfectos recipi Ecclesiastica sepultura, etiam defunctos peracta poenitentia; quatenus tamen pugnandi causa eo venerunt, non etiam si fortuito eo venientes occisi sint, c. 2. h. t.

Prohibitionem hanc cessare vult Navarr. in Summa c. 5. nu. 9. quando adhibetur moderamen & cautela, quæ cædes & similia pericula evitentur, secundum 1. Extrav. 1. h. t. Quo modo & taurorum agitationes per se periculosas in Hispania usitatas permitti posse dicit, si sufficienter caveatur, ne cædes committatur, quæ de re Vid. Azor. p. 3, lib. 2. c. 15, Gutierrez Canon. Quest. lib. 1. c. 7.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

SUMMARIUM.

- 1. Duella olim cur usitata.
- 2. Cur detestanda.
- 3. Poena duellantium jure Canonico.
- 4. Poena depositionis an ipso jure infligatur.
- 5. Duellorum prohibitio & poena ex Concilio Trid.
- 6. Duellum bono publico an licite suscipiatur?
- 7. Inter milites an licitum?

**R**equentiam cædium præbet Duellum, id est singulare certamen, olim usitatum,

tum in virium ostentationem, tum in controversiarum decisionem, præcipue pro conservatione honoris, ut videre est ex variis. Apud Christianos etiam in usu fuit in litium diremptionem certis casibus & legibus, ad veritatis alicujus indaginem; hac conditione, ut victor probasse videretur, quod adseruisset, victus vero de crimine vel calumnia convictus haberetur.

Abhorret tamen ab institutis Christianis, tamquam repugnans juri divino & naturali, ratione homicidii, quod ex eo frequentissimè sequitur; & quod tentetur Deus, quasi per hujusmodi duella alligetur manifestare veritatem: quibus sicut nihil crudelius, ita nihil stultius potuit excogitari in Christiano pectore, quod decet omnem mansuetudinem. Ut quis bonus imbutus moribus honestis ea merito detestetur, uti temeraria & fallacia, pervertentia ordinem judiciorum, violentia justitiam; cum plurimi, quorum causa jure & veritate optima fuit, stolidissimi deorum Martis arbitrio pugnantes occubuerint, & ejusmodi infamis aleæ jactu vitam non tantum sæculi hujus transitorii, sed & venturi perpetuo amiserint. Uti & nequaquam semper in bello victoriam consequitur justa causa, quin non raro divina sententia, & occulto Dei judicio declinet interdum ad eum, qui pessimam causam fovet, secundum illud communè dictum.

*Vidrix causa diu placuit sed victa Catoni.*

Sunt hæc de re exempla plurima, tum in aliis libris passim, tum in divina Scriptura, Judic. c. 20.

Rectè proinde ejus usus prohibetur, c. 2. h. t. & can. Monomachiam II. q. 5. non tantum poena irregularitatis, quam incurrit reus pugnans per se vel per alium, si mors subsequatur, licet beneficii usus relinqui possit misericorditer, ne cogatur Clericus mendicare in opprobrium Cleri d. e. 2. verum & depositionis, ut patet c. 1. h. t.

Ubi quaeritur, An hæc poena ipso jure infligatur in casu provocationis aut acceptationis duelli? R. Hoc plerisque velle, fundatos in d. c. 1. Cujus tamen verba non tam sonant sententiam latam, quam ferendam, cum dicat

Z z z 2 dep